DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

1176

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS IV. MARTII.

M. CLAVDIO GVERIN, Doctore Medico, Præside.

An sit insita alicui homini naturaliter vis curandi morbos?

NATVRAM extra individua quærere vanum: consultiùs multò Philosophus in ipsismet singularibus communem simul & privatam agnoscit. Medicus partam consuetudine indolem ab ingenitâ, nudam & simplicem, ab eâ quæ vi aliquâ cælesti adornata est distinguit: vniversa quæque opera ab his fontibus profluunt: qui in pluribus eiusdem speciei pari modo existit, actionum naturæ fons est primarius: qui verò ex vniuscuiusque peculiari fundo scaturit, alter ab illo est. Cum hi confluunt, quidquid naturalis est moliminis perficitur, secus ne minima quidem opella ab his expectanda. Venit & aliquando in consortium tanti operis consuetudo, non quidem vt parens, sed vt obstetrix. Sola, sepositâ natura, vis supernaturalis potest è corporibus elicere actiones modò celeriores, modò valentiores, modò productiores quàm par sit. Potest & aliquando educere quę alterius generis quàm agentis natura ferat, quod vt scire summè necessarium, sic & dignoscere non multùm operosum, pręsertim ei qui probè tenuerit naturam novercam non esse, sed optimam matrem quæ vt omnes suos eiusdem agnationis nepotes amoribus pares sociaret, inter eos perpetuò voluit esse omnem, ratione potestatum qualitatem: nullam, ratione operationum, disparitatem; vtque se omnibus ex æquo communicavit, sic nec aliquam potuit in vno potiùs quàm in alio effundere proprietatem.

ID omne quod intra naturę pomeria efficitur facultatis est opus, sive ingenitæ, sive adventitiæ: illam promiscuè in animatorum & inanimatorum grege reperies, hanc frequentiùs in viventibus, rariùs in vita destitutis. Concors hęc discordia ab his ex quibus constant dispari conditione manat: tantæ molis est agendi facultatem sibi comparare, vt vix id assequatur iners & otiosa lapidum metallorum & cadaverum forma: actuosâ verò & irrequietâ semper agitatione mota viventium anima perpetuò aliquid novi consequitur, aut saltem consequi apta. nec reluctantem experitur in eo materiam cuius est inquilina, sed vt ex his elementis quæ nunquam in eodem vestigio manent plures portiones in suâ compositione admisit, quàm ea quæ est mixtorum vitæ expertium; non mirum si hæc, torpente illâ, continuò ad novæ cujusdam facultatis productionem allaboret. Longè alia ratio est insitarum à naturâ virium; eæ non accersuntur, sed è fœcundo sinu subjecti cui inhærent depromuntur, non vt peregrinæ ventilantur, sed quasi consociatæ foventur: non vt hospites ad tempus admittuntur, sed quasi vernæ suum in eâ domo in quâ nati sunt perpetuò retinent locum: non paucorum sunt, sed ad omnes eiusdem speciei pertinent: non cujuslibet partis assectæ, sed perpetuò nobilioris, in viventibus animæ, in cadaveribus & perfectè mixtis formæ principatum obtinentis.

NIHIL ex his quæ hoc cæli ambitu continentur mancipij sui est. cuncta naturam vt dominam suspiciunt, constanter servatura quidquid pręceperit. eius mandatum homini quantumvis amasio & corculo, judicium, justitia, lex est. Imo quo magis eum beneficiis cumulavit, eo pluribus illum nominibus ad sibi obtemperandum adstrinxit. Hinc ne hilum quidem invitâ minervâ suscipit: sed haud secus ac vilissimus quivis naturæ fœtus acceptâ priùs agendi facultate, quæ si fuerit ex intimis eius penetralibus eruta insita dicetur eritque toti humanæ speciei communis præcipuè cùm ad decus aut vtilitatem gentis pertineat aut perfectionem aliquam ipsi adesse denotet: ex eodem enim luto finxit omnibus hominibus pręcordia Titan, animasque impertiit quæ τιμιότητι & ἀτιμίᾳ non differant: verùm quæ virtutibus pares, sicut lux oculo, θύραθεν semini, statim atque in loculos muliebres inditum est, adveniunt, vt omne genus partium quod suis edendis actionibus necessarium foret, alienæ industriæ fabricandum non committant. Et iure quidem, parandi quippe convenientis instrumenti, nemo meliùs rationem novit eo, qui cupit illud in vsum revocare.

VIM omnem curandi morbos vnius eiusdémque rei terminis coërceri posse quis credat? Ipsa pluribus dispertita, paucis negata, maximè homini: nec mireris, qui nullas, quandiu lucis vsurâ fruitur, cum quoquam gerit inimicitias, facultate morbicida, quæ ἀπὸ τῆς ἐναντίας perpetuò ducitur careat, necesse est. & si quem forte hac ornatum reperias, cælitùs ipsi concessam puta. nihil tale anima (vt & contrarietatis sic & morbi nescia) ex se profundere valet: corpus verò humanum (infinitis propè morbis obnoxium, quia σύμμετρον) in eo auxiliares animæ manus, etiamsi vellet, prębere non posset. & sane quæ virtus animæ eversam semel naturalem constitutionem restituet, distortam partium figuram reficiet, sejuncta & suâ sede dimota reponet, hiantia conglutinabit: si in eius potestate situ non sit alterationem configurationem aut vnionē in alio moliri. Olent ista portentum potiùs quàm naturam, à verbis quæ non φύσει, sed θέσει quampiam aliquando vim habent, pendere curationem: aut è vivis mortalium corporibus fluere salutares ἀπορροίας: vt & ad levissimum contactum è corpore, non secùs ac è poroso aurantij cortice, si digitis leviter comprimas, exilire tenuissimam auram morborum expultricem.

SANATIONIS donum, quod hominibus natura denegavit, consuetudo non tribuit, ars non protulit. Hoc aliquando pręconcepta opinio affinxit, fors insinuavit, turpis assentatio Pyrrho, Aureliano, Vespasiano, Adriano & septimo partu natis concessit: nec id te moveat, modo attendas, facile prejudicatum à vero, fortuitū à certo subdititium à genuino distingues. sunt illa nullius, aut levioris, aut fictitiæ curationis causæ: hoc quod à naturâ profectum esset si daretur, omnes omninò morbos quantumvis graves aut deleterios, aut certam horum speciem sublato omni recidivæ metu certò certiùs persanaret, nullâ habitâ loci, temporis, personarum, aut πεισατικῶς ratione: verùm, ad instar radij continuò promoti, à corpore suo efflueret, in orbem diffunderetur, suam certam activitatis sphæram haberet, quędam etiam per corpora alia penetraret: quid plura tantum & tam diuturnum eius fieret effluvium, vt ad spatia amplissima sufficeret explenda, nullo tamen sui aut animæ ex quâ deflueret vel minimo detrimento. quod certe fingere faciliùs est quam invenire.

Ergo non est insita alicui homini naturaliter vis curandi morbos.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Perreau.
M. Ioannes Armandus de Mauvilain.
M. Claudius Bertinus Dieuxiuoie, Botanices Professor.
M. Stephanus Bachot.
M. Ioannes Baptista Moreau, Professor Regius.
M. Eusebius Renaudot.
M. Ioannes Hamon.
M. Petrus de Beaurains.
M. Franciscus Guenaut, Scholæ antiquior Magister, Reginæ Archiater.



Proponebat Lutetiæ LVDOVICVS MORIN Cenomanus. A. R. S. H. M. DC. LXVI.